

ACTA ET DOCUMENTA

A. Diversa circa Institutionem Opus Dei spectantia

I

IOANNES PAULUS PP. II

Constitutio Apostolica

IOANNES PAULUS, PP. II, *Ut sit validum*, 28 Novembris 1982, AAS, 75 (1983) 423-425.

Ab apostolicae plenitudine potestatis Ioannes Paulus PP. II Opus Dei in Praelaturam personalem ambitus internationalis erigit; « ... ac suppleto, quatenus necessarium sit, eorum consensu quorum interest vel quia sua interesse existima-verint ».

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ut sit validum et efficax instrumentum suae ipsius salvificae missionis pro mundi vita, Ecclesia maternas curas cogitationesque suas maxima cum spe confert in Opus Dei, quod Servus Dei Ioseph Maria Escrivá de Balaguer divina ductus inspiratione die II Octobris anno MCMXXVIII Matriti inivit. Haec sane Institutio inde a suis primordiis satagit missionem laicorum in Ecclesia et in humana societate non modo illuminare sed etiam ad effectum adducere necnon doctrinam de universali vocatione ad sanctitatem re exprimere atque sanctificationem in labore et per laborem professionalem in quolibet sociali coetu promovere. Idem pariter efficiendum curavit per Societatem Sacerdotalem Sanctae Crucis quoad sacerdotes dioecesibus incardinatos in sacri ministerii exercitio. Cum Opus Dei divina opitulante gratia adeo crevisset ut in pluribus orbis terrarum dioecesibus extaret atque operaretur quasi apostolica compages quae sacerdotibus et laicis sive viris sive mulieribus constabat eratque simul organica et indivisa, una scilicet spiritu fine regimine et

spirituali institutione, necesse fuit aptam formam iuridicam ipsi tribui quae peculiaribus eius notis responderet. Idemque Operis Dei Conditor, anno MCMLXII, a Sancta Sede humili cum fiducia suppliciter postulavit ut, natura theologica et primigenia Institutionis perspecta eiusque maiore apostolica efficacia considerata, consentanea configuratio ei inveniretur. Ex quo autem tempore Concilium Oecumenicum Vaticanum Secundum, Decreto *Presbyterorum Ordinis*, n. 10 per Litteras « motu proprio » datas *Ecclesiae Sanctae*, I n. 4 rite in actum deducta, in ordinationem Ecclesiae figuram Praelaturae personalis ad peculiariora opera pastoralia perficienda induxit, visa est ea ipsa Operi Dei apprimae aptari. Quapropter anno MCMLXIX Decessor Noster felicissimae recordationis Paulus Sextus petitioni Servi Dei Ioseph Mariae Escrivá de Balaguer benigne annuens potestatem illi dedit Congressum generalem specialem convocandi, cui cura esset, ipso duce, ut studium iniretur de Operis Dei transformatione, eius ipsius indoli et Concilii Vaticani Secundi normis magis consentanea. Quod omnino studium explicite iussimus Nos ipsi continuari atque anno MCMLXXIX Sacrae Congregationi pro Episcopis, ad quam res suapte pertinebat natura, mandatum dedimus ut, cunctis elementis sive iuris sive facti attente consideratis, formalem petitionem ab Opere Dei exhibitam examini subiceret. Profecto eadem Congregatio huic negotio vacans quaestionem sibi propositam accurate investigavit ratione cum historica tum iuridica et pastoralis ita ut, quolibet sublato dubio circa fundamentum possibilitatem et concretam rationem postulationi obsecundandi, plane pateret opportunitas atque utilitas optatae transformationis Operis Dei in Praelaturam personalem. Ideirco Nos de apostolicae plenitudine potestatis Nostrae, ad sensi interea consilio. Nobis dato, Venerabilis Fratris Nostri S.R.E. Cardinalis Praefecti Sacrae Congregationis pro Episcopis ac suppleto, quatenus necessarium sit, eorum consensu quorum interest vel qui sua interesse existimaverint, haec quae sequuntur decernimus fierique volumus.

I. Opus Dei in Praelaturam personalem ambitus internationalis erigitur sub nomine Sanctae Crucis et Operis Dei, breviato autem nomine Operis Dei. Simul vero erigitur Societas sacerdotalis Sanctae Crucis qua Adsociatio Clericorum Praelaturae intrinsecus coniuncta. II. Praelatura regitur normis iuris

generalis et huius Constitutionis necnon proprii Statutis, quae « Codex iuris particularis Operis Dei » nuncupantur. III. Praelaturae iurisdictio personalis afficit clericos incardinatos necnon, tantum quoad peculiarium obligationum adimpletionem quas ipsi sumpserunt vinculo iuridico, ope Conventionis cum Praelatura initae, laicos qui operibus apostolicis Praelaturae sese dedicant, qui omnes ad operam pastorem Praelaturae perficiendam sub auctoritate Praelati exstant iuxta praescripta articuli praecedentis. IV. Praelaturae Operis Dei Ordinarius proprius est eius Praelatus cuius electio iuxta praescripta iuris generalis et particularis facta Romani Pontificis confirmatione eget. V. Praelatura a Sacra Congregatione pro Episcopis dependet et pro rei diversitate quaestiones pertractabit cum ceteris Romanae Curiae Dicasteriis. VI. Praelatus singulis quinquenniis per Sacram Congregationem pro Episcopis relationem Romano Pontifici exhibebit de Praelaturae statu deque modo quo eius apostolatus procedit. VII. Praelaturae sedes gubernii centralis in Urbe posita est. In ecclesiam praelatitiam erigitur oratorium Sanctae Mariae de Pace apud sedem centalem Praelaturae. Praeterea Reverendissimus Alvarus del Portillo, die xv mensis Septembris anno MCMLXXV Praeses Generalis Operis Dei rite electus, confirmatur atque nominatur Praelatus erectae Praelaturae personalis Sanctae Crucis et Operis Dei. Denique ad haec omnia convenienter exsequenda destinamus Nos Venerabilem Fratrem Romulum Carboni, Archiepiscopum titulo Sidoniensem et in Italia Apostolicum Nuntium, dum necessarias ei atque opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Sacram Congregationem pro Episcopis quam primum remittendi verum exemplar actus ita impletae executionis. Contrariis quibusvis rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXVIII mensis Novembris, anno MCMLXXXII, Pontificatus Nostri quinto.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

✠ SEBASTIANUS Card. BAGGIO
S. Congr. pro Episc. Praef.

Iosephus Del Ton, Proton. Apost.
Marcellus Rossetti, Proton. Apost.

Loco ✠ Plumbi

In Secret. Status tab., n. 101486.

II

SACRA CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

SACRA CONGREGATIO PRO EPISCOPIS, *Praelaturae personales*, 23 Augusti 1982, AAS, 75 (1983) 464-468.

De Praelatura Sanctae Crucis et Operis Dei, eiusque natura, et externis relationibus.

Praelaturae personales, quas ad « peculiaria opera pastoralia » perficienda Concilium Vaticanum II voluit (Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 10 § 2) quaeque dein iuridicam obtinuerunt ordinationem in legibus pontificiis ad exsequenda eiusdem Concilii Decreta latis (cfr. Motu pr. *Ecclesiae Sanctae*, Pars I, n. 4), aliud constituunt signum ac testimonium sollicitae illius curae qua peculiaribus nostri temporis necessitatibus in re pastoralis atque in suo evangelizationis munere exercendo Ecclesia respondet. Quamobrem pontificia decisio qua « Opus Dei » in Praelaturam personalem, sub nomine « Sanctae Crucis et Operis Dei », erigendum est, apostolicae operositatis Ecclesiae efficacitatem directe et imprimis respicit; qua ratione ad effectum re et opere adducitur novum instrumentum pastorale, hactenus in iure quidem desideratum ac praevisum, idque fit per institutionem quae probatas exhibet cautiones quoad doctrinam, disciplinam et apostolicum vigorem.

Simul vero, huiusmodi decisio « Operis Dei » confert ecclesiam ordinationem suo ipsius charismati fundationali atque germanae naturae sociali plene accommodatam, ita ut, dum problema eius institutionale apte solvit, harmonicam insertionem huius institutionis in actionem pastorem organicam Ecclesiae universalis et Ecclesiarum localium apprime compleat efficaciusque eius servitium reddat.

Ut clare patet ex normis Sanctae Sedis istiusmodi Praelaturae structuram atque apostolicam operositatem regentibus — congrua quidem servata observantia legitimo Episcoporum dioecesanorum iuri debita —, notae praecipuae quibus constituta Praelatura insignitur hae sunt:

I. Quod ad eius structuram attinet:

a) Praelatura « Opus Dei » ambitu internationalis est habenda; Praelatus, qui est eius Ordinarius proprius, sedem centalem cum suis Consiliis Romae habet;

b) Praelaturae clerus, eidem incardinatus, ex laicis provenit ipsi incorporatis: nullus proinde candidatus ad sacerdotium, diaconus vel presbyter Ecclesiis localibus subtrahitur;

c) illi laici — cum viri tum mulieres, sive caelibes sive matrimonio iuncti, ex qualibet professione vel conditione sociali — qui servitio finis apostolici Praelaturae proprii sese dedicant, graves et qualificatas obligationes ad hoc assumentes, id efficiunt non vi votorum, sed vinculi contractualis iure definiti.

I. Praelatura « Opus Dei » est structura iurisdictionalis saecularis, et ideo:

a) clerici eidem incardinati quoad omnes effectus pertinent ad clerum saecularem, iuxta praescripta iuris generalis atque iuris Praelaturae proprii; arctas igitur relationes fovunt unitatis cum sacerdotibus saecularibus Ecclesiarum localium et, quod ad constitutionem attinet Consiliorum presbyteralium, voce activa et passiva gaudent;

b) laici Praelaturae incorporati non mutant suam conditionem personalem, sive theologica sive canonicam, communium fidelium laicorum, et qua tales in omnibus se gerunt ac, reapse, in exercitio sui apostolatus;

c) spiritus ac finis « Operis Dei » in lucem proferunt vim sanctificantem ordinarii laboris professionalis propriam, munus nempe sese in eo absolvendo labore sanctificandi, immo ipsum laborem sanctificandi eumque convertendi in apostolatus instrumentum; eorum ergo qui ad Praelaturam pertinent opera et apostolatus praecipue exercentur in locis, adiunctis atque structuris saecularis societatis propriis, attentis normis generalibus quae pro apostolatu laicorum dentur sive a Sancta Sede sive ab Episcopis dioecesanis;

d) quod ad optiones spectat in re professionali, sociali, politica, etc., laici fideles ad Praelaturam pertinentes, intra li-

mites videlicet catholicae fidei et christianorum morum atque Ecclesiae disciplinae, eadem gaudent libertate qua ceteri fruuntur catholici, quorum sunt concives: Praelatura igitur suorum membrorum labores professionali, sociales, politicos, oeconomicos, etc, suos omnino non facit.

III. *Relate ad Praelati potestatem:*

a) ipsa est potestas ordinaria regiminis seu iurisdictionis, ad id circumscripta quod finem respicit Praelaturae proprium, et ratione materiae substantialiter difert a iurisdictione quae, in ordinaria cura pastoralis fidelium, Episcopis competit;

b) praeter regimen proprii cleri, generalem secum fert directionem tum institutionis doctrinalis tum peculiaris curae spiritualis et apostolicae quas laici « Operis Dei » incorporati recipiunt, quo impensius ad Ecclesiae servitium sese dedant;

c) simul cum iure incardinandi proprios candidatos ad sacerdotium, Praelatus obligatione tenetur curandi peculiarem eorum institutionem in Centris Praelaturae, iuxta normas a competenti Sacra Congregatione latas, necnon vitam spiritualem ac permanentem institutionem eorum sacerdotum quos ipse ad sacros Ordines promoverit, ac praeterea eorum congruam sustentationem atque convenientem assistentiam ob infirmam valetudinem, senectutem, etc.;

d) laici iurisdictioni Praelati obnoxii sunt in iis quae pertinent ad adimplerem peculiarium obligationum, vitam spiritualem, doctrinalem institutionem atque apostolatus exercitium respicientium, quas ipsi libere sibi sumpserunt vinculo dedicationis ad finem Praelaturae proprium.

IV. *Quoad dispositiones ecclesiasticas territoriales atque legitima Ordinariorum locorum iura:*

a) qui ad Praelaturam pertinent, iuxta iuris praescripta, normis territorialibus tenentur quae tum dispositiones generales respiciunt indolis doctrinalis, liturgicae ac pastoralis tum leges ordini publico consulentes; sacerdotes praeterea generalem cleri disciplinam servare debent;

b) Praelaturae sacerdotes facultates ministeriales petere debent, a competenti auctoritate territoriali concedendas, ut suum ministerium erga personas ad « Opus Dei » non pertinentes exercere possint;

c) laici Praelaturae « Operis Dei » incorporati fideles esse pergunt earum dioecesium in quibus domicilium vel quasi-domicilium habent, et subsunt igitur iurisdictioni Episcopi dioecesani in iis omnibus quae iure statuuntur quoad communes fideles.

V. *Quod ad pastorem praeterea attinet coordinationem cum locorum Ordinariis atque ad proficuum insertionem Praelaturae « Operis Dei » in Ecclesias locales, haec statuuntur:*

a) ad unumquodque Praelaturae Centrum erigendum, praevia semper requiritur venia sui cuiusque Episcopi dioecesani, cuius est praeterea ad normam iuris visitare huiusmodi Centra, de quorum actuositatem regulariter certior fit;

b) relate ad paroecias vel templa, sive rectoralia sive non, aliaque officia ecclesiastica quae ipsi Praelaturae vel sacerdotibus eidem incardinatis a loci Ordinario concredita sint, fiet singulis in casibus conventio inter loci Ordinarium et Praelatum « Operis Dei » eiusve Vicarios;

c) omnibus in nationibus Praelatura debitas relationes servabit cum Praeside et organismis Conferentiae episcopalis, necnon frequenter cum Episcopis earum dioecesium in quibus ipsa operatur.

VI. Cum Praelatura inseparabiliter iungitur Societas Sacerdotalis Sanctae Crucis, ad quam illi sacerdotes e clero dioecesano pertinere possunt, qui sanctitatem in exercitio sui ministerii consequi desiderant, iuxta spiritum et praxim asceticam « Operis Dei ». Vi tamen huius adscriptionis ipsi non efficiuntur membra cleri Praelaturae, sed quoad omnes effectus sub regimine manent proprii Ordinarii, quem, si id desideret, de praedicta adscriptione certiores reddent.

VII. Praelatura dependet a Sacra Congregatione pro Episcopis (cfr. Const. *Ap. Regimini Ecclesiae universae*, n. 49 § 1)

et, haud secus atque aliae iurisdictiones autonomae, capacitate gaudet ut, attenta materia de qua singulis in casibus agatur, quaestiones tractet cum competentibus Sanctae Sedis Dicasteriis.

VIII. Per Sacram Congregationem pro Episcopis, singulis quinquenniis Praelatus Romano Pontifici subiiciet diligentem relationem de Praelaturae statu, sub respectu sive pastoralis sive iuridico, deque eius specifici laboris apostolici executione.

Declarationem hanc de Praelatura « Sanctae Crucis et Operis Dei » Summus Pontifex Ioannes Paulus divina Providentia Pp. II, in audientia concessa infrascripto Praefecto Sacrae Congregationis pro Episcopis, d. 5 m. augusti a. 1982, ratam habuit, confirmavit atque evulgari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Episcopis, d. 23 m. augusti a. 1982.

✠ SEBASTIANUS Card. BAGGIO, Praefectus

✠ Lucas Moreira Neves, Archiep. tit. Feraditanus maior,
a Secretis

III

S.C. DE RELIGIOSIS - ORDINARIUS MATRITENSIS *

Decretum erectionis canonicae Societatis Sacerdotalis Sanctae Crucis, etiam « Opus Dei » dictae, in veram societatem iuris dioecesani.

Quindecim abhinc annos pius ac zelans huius Matriten. Dioecesis Sacerdos, Doctor D. Joseph Maria Escrivá de Balaguer et Albá, favente ac benedicente Ordinario Dioecetano, Institutione condidit, cuius sodales, praeter propriam cuiusque sanctificationem, servatis Evangelii consiliis in munere professionali exercendo obtinendam, hunc, quamvis non unicum specificum finem sibi proposuerunt: enixe adlaborare ut selectam

* Ilustración del Clero, 37 (1944) 201-203; ОЧОЛ, n. 1780.

partem virorum professionum intellectualium, quibus natura competit societatem civilem dirigere, ad fidei catholicae principia revocarent et ad Evangelicam perfectionem suaderent.

Novam hanc Institutionem — quae, ob singularem et propriam consociationem *Opus Dei* appellata, proprium finem omni contentione est ubique prosequuta — apprime temporum nostrorum et nostrae Patriae necessitatibus urgentissimis respondere nemini non apparuit. Omnes enim fatentur, rei publicae eversionem, quae universam fere Hispaniam nuper cruentavit, desertioni a doctrina et praeceptis Christi hominum « intellectualium » esse magna ex parte adstruendam, quippe qui doctrinis dissolventibus per tot lustra iuventam studiosam inquinarent.

Cui piae Institutioni divinus favor iam inde a primordiis constans adfuit, sese praecipue manifestans tum numere et qualitate ad eandem advolantium iuvenum integritate aequae ac ingenio florentium, tum fructibus uberrimis ubivis ab eadem collectis, tum denique signo contradictionis, quae operum Dei sigillum exstitit. At vere, succrescentibus in dies Institutionis membris, eiusdemque mirum in modum extenso activitatis ambitu, visum est, scopum, constitutionem et methodum actionis intra fines simplicis. Associationis ulterius contineri non posse, sed ampliorem et firmiorem exigere rationem verae Societatis Ecclesiasticae legitime erectae et constitutae. Sic enim, dum diversae Institutionis activitates organice coordinabuntur, ipsa Hierarchiae intimius haerebit, necessariam internam auctoritatem comparabit et firmitatem sanctionis nedum Ordinarii loci verum etiam Sedis Apostolicae nanciscetur.

Re igitur mature perpensa, pro Nostro officio, universum negotium ad Apostolicam Sedem retulimus, a qua per S. Congregationem de Religiosis, telegrapho prius, dein vero litteris authenticis die 11 octobris 1943, sub num. 2.777-43, responsum accepimus, nihil ab eadem Sede Apostolica ob stare quominus ad optatam erectionem canonicam praedictae piae Associationis deveniremus.

Quapropter, facultatibus cc. 674 692 § 1 concessis utentes, laudatam piam hucusque Associationem a Nobis ut talem iam antea adprobatam in veram Societatem iuris Dioecetani ad normam t. XVII lib. II Codicis Iuris Canonici erigimus atque constituimus sub nomine *Societatis Sacerdotalis Sanctae Cru-*

cis, in finem compendio Statutorum Sanctae Sedi submisso sat expressum et mediis ibidem relatis obtinendum. Haec autem Societas Sacerdotalis Sanctae Crucis erit ad normam iuris communis Nobis Nostrisque Successoribus plane subiecta (c. 492, § 2). Ut vero efficacius intentos effectus Societas consequatur, volumus ac edicimus ut, firmo compendio Statutorum Sanctae Sedi, ut diximus, delato, eiusdem Societatis ampliores et completiores Constitutiones exarentur Nostrae adprobationi subiiciendae.

Huius decreti canonicae erectionis Societatis Sacerdotalis Sanctae Crucis, manu Nostra subscripti Nostroque sigillo muniti, tria excribantur exemplaria: primum ad Sedem Apostolicam remittendum, alterum Rv.do Moderatori Societatis tradendum, tertium denique in Archivo Curiae Episcopalis ad perpetuam rei memoriam asservandum.

Matriti, in die festo Immaculae Conceptionis B.V.M., 8 decembris 1943. - LEOPOLDUS, *Episcopus Matrit-Compluten.* J. Marco, *Cancell.*

ADNOTATIONES

[Ut documenta officialia supra adhibita magis elucere possint, nobis opportune videtur prae oculis quaedam documenta exhibere; alia, nempe, cuius auctoritate novae prefecturae personali praest profluentia, alia vero ex nostra ephemeride, annis edita superioribus, excerpta. Omnia, nisi fallimur, propius spectantia ad quaestionem de qua nunc agitur].

I

STRUTTURA GIURISDIZIONALE E SPIRITUALITÀ DELL'OPUS DEI *

La recente inaugurazione ufficiale della Prelatura dell'« Opus Dei » richiama alcuni aspetti qualificanti di questo organismo ecclesiale. Al prelado dell'« Opus Dei », Mons. Alvaro del Portillo abbiamo proposto alcune domande.

Monsignore, potrebbe spiegarci in cosa consiste la recente trasformazione giuridica dell'Opus Dei?

Com'è noto, lo scorso 28 novembre, dopo tre anni e mezzo di studi meticolosi, nei quali intervennero due commissioni cardinalizie e una speciale commissione tecnica, e contanto inoltre sul parere di più di duemila vescovi di tutto il mondo, il Santo Padre decise di erigere in Prelatura personale l'Opus Dei, che già da molti anni vedeva in questa figura la cornice giuridica più adeguata al suo spirito e alla sua realtà sociale e apostolica.

La Prelatura personale è una struttura giurisdizionale secolare, di carattere personale — ossia, non circoscritta al criterio della territorialità — che la Santa Sede erige perché realizzi peculiari lavori pastorali, in una determinata regione, in un Paese determinato o nel mondo intero. Questa figura giuridica, che ha una grande flessibilità, fu creata nel Concilio Vaticano II,

* L'Osservatore Romano, 25 marzo 1983.

concretamente nel Decreto *Presbyterorum Ordinis*. Alcuni mesi dopo la chiusura del Concilio, nell'agosto 1966, il Santo Padre Paolo VI, interpretando autenticamente il Decreto conciliare che ho citato prima, elaborò con maggiori dettagli la figura della Prelatura personale, nel *Motu Proprio Ecclesiae Sanctae*, che contiene quella che potremmo chiamare una legge-quadro delle Prelature personali, e che è stata ora accolta nel nuovo Codice di Diritto Canonico, promulgato dal Santo Padre lo scorso 25 gennaio.

Come funziona la Prelatura Opus Dei?

L'Opus Dei è costituito da un Prelato, da un clero incardinato nella Prelatura (attualmente più di mille sacerdoti), e ad una notevole maggioranza di laici incorporati, che già superano il numero di 70 mila. Il Prelato e il clero della Prelatura assistono spiritualmente i laici col fine di aiutarli a vivere i seri e qualificati impegni spirituali, apostolici e formativi che hanno assunto all'incorporarsi alla Prelatura; impegni che hanno come obiettivo quello di facilitare a ciascuno la ricerca della santità nell'esercizio del proprio lavoro professionale.

Allo stesso tempo, il clero e il laicato della Prelatura, inseparabilmente uniti, realizzano — sempre d'accordo con i Vescovi diocesani — un profondo lavoro apostolico in tutti gli ambienti delle Chiese locali — fra uomini e donne, celibi e sposati, intellettuali ed operai, ecc. — col fine di diffondere una presa di coscienza della chiamata universale alla santità e all'apostolato nella vita ordinaria.

In quali modi concreti l'Opus Dei collabora nella pastorale diocesana?

Non mi è possibile descrivere qui tutti i modi concreti di questa collaborazione che i sacerdoti e i laici dell'Opus Dei prestano alla pastorale delle centinaia di diocesi in cui lavoriamo. Come idea generale vorrei dire che ho già indicato il modo principale in cui l'Opus Dei collabora con la pastorale diocesana: promuovendo la santità personale in mezzo al mondo, tra per-

sone di ogni classe e condizione. I laici della Prelatura realizzano questo lavoro fondamentalmente attraverso l'apostolato personale che svolgono nel proprio ambiente familiare e professionale. Mi consenta di sottolineare questo aspetto, essenziale per intendere bene il lavoro che portiamo avanti: la Prelatura deve essere come il fermento che si dissolve nella massa e per questo ordinariamente non attua in gruppo ma attraverso l'apostolato, inoltre, che ciascuno realizza nel suo ambiente secolare-civile, con la necessaria autonomia, con spontaneità e responsabilità personale.

Quest'apostolato personale e capillare, difficilmente quantificabile, produce molti frutti: dalle conversioni individuali, vocazioni per la evangelizzazione e per la creazione di focolari cristiani, fino ad un lento miglioramento delle strutture sociali nelle quali queste persone attuano professionalmente; senza dimenticare, inoltre, la realizzazione di iniziative educative, assistenziali, ecc. che dotano la società di alcuni efficaci strumenti di promozione umana, impregnati di spirito cristiano.

Come era solito ripetere monsignor Escrivá, pieno di riconoscenza al Signore, tutto questo — e molti altri benefici che ora non posso dilungarmi a precisare — rimane nelle Chiese locali e rappresenta un efficacissimo contributo alla pastorale diocesana. Numerosi Vescovi di tutto il mondo la pensano così e ringraziano moltissimo per questa collaborazione.

Quali aspetti della spiritualità dell'Opus Dei Lei metterebbe in evidenza?

Posso segnalare, molto brevemente, tre punti che furono sempre presenti nella vita e nella predicazione del nostro Fondatore, monsignor Escrivá de Balaguer:

— il dovere di convertire il lavoro professionale ordinario del cristiano in mezzo ed occasione di santità e apostolato. Nel campo umano e sociale, questo aspetto del nostro spirito è ricco di conseguenze: porta a considerare come ugualmente importanti e nobili tutti i lavori; a svolgerli con la maggiore perfezione di cui ciascuno è capace; e spinge coloro che li realizzano a cercare solo il bene della società, il servizio al prossimo. Non specifico i frutti spirituali che produce — crescita delle virtù

personali, stimolo alla giustizia e alla carità sociale, ecc. — perché mi sembrano ovvii.

— Un secondo aspetto è la chiara consapevolezza della filiazione divina, che ci inclina a trattare Dio come un Padre che sta molto vicino a ciascuno dei suoi figli: sempre, ossia anche in tutte le circostanze di una comune vita secolare. Il risultato è che si vive con gioia e si affrontano con ottimismo le inevitabili difficoltà che possono presentarsi, fiduciosi nell'aiuto onnipotente di Dio.

— Un terzo aspetto è un grande rispetto — meglio ancora un grande amore — alla libertà personale di tutti gli uomini, che Cristo ci ha conquistato morendo sulla Croce.

A che cosa attribuisce la vitalità che si osserva nell'Opus Dei?

Alla grazia di Dio. Chiedo al Signore, per intercessione di Maria Santissima, che non manchi mai questo aiuto divino. Per non rendere sterile la grazia, nell'Opus Dei cerchiamo di non appartarci nemmeno di un millimetro dallo spirito del nostro Fondatore. Il fedele compimento di tutte le norme contenute nei nostri Statuti ci porta a vivere una vita di contemplativi in mezzo al mondo: non possiamo dimenticare che per santificare tutti i lavori nobili, per porre Cristo sulla cima di tutte le attività umane, è necessaria una solida vita interiore di intima unione lungo tutto il suo cammino sul continuo aiuto della Santissima Vergine che il nostro Fondatore amò appassionatamente. Io direi che è stata la Madonna a guidare tutti i nostri passi. Sperimentiamo la sua materna protezione.

a cura di Piero Monni

II

DE SECRETO A SUPERIORIBUS ECCLESIASTICIS CIRCA INSTITUTA SERVANDO *

Procurator Generalis Instituti Saecularis cui nomen *Societas Sacerdotalis Sanctae Crucis et Opus Dei* ab Eminentia Vestra Reverendissima, humiliter Sacram Purpuram deosculans, quaerit:

An in Istitutis Saecularibus, quae ad normam propriarum Constitutionum vel iuxta ipsorum probatum characterem, domos, opera atque Sodales secreto legere debent, huic secreto etiam Ordinarii dioecesani alique Superiores Ecclesiastici, quibus haec omnia ex officio pateant, erga illos omnes teneantur, qui ad horum communicationem ius non habent.

Haec S. Congregatio Negotiis Religiosorum praeposita, mature perpensis expositis, respondendum censuit: *Affirmative*. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae ex Aedibus S.C. de Religiosis, die 24 iulii 1947.

1. Neminem fugit quantum generatim *secretum*, quoad vitam perfectionis pacifice in familiis, in societate, in muneribus generandam et quoad apostolatam penetrationis absque inutilibus semper et frequentissime damnosis contradictionibus ac difficultatibus exercendum.

2. Sunt plura Instituta pro quibus *secretum* ita necessarium reputandum est ut vix ipsum non dixerimus substantiale, sine quo finis magna ex parte frustratur.

3. *Secretum* non tangit *ecclesiasticas auctoritates*, cum in Ecclesia Dei Instituta nec sunt nec esse possunt *Societates clandestinae* seu *secretae* quas Ecclesia menti vel damnat prorsus vel suspectas habet. Manifestatio tamen Ecclesia debita, singulis *auctoritatibus ecclesiasticis* fieri debet prout ipsae in Instituta auctoritatem exercent, ita ut *si nullam* exercent nullum aderit *officium* (1) res Institutorum ipsis pandendi, finge ex. gr. speciem Instituti iuris pontificii quoad parochum, si *aliquem*

(*) CpR, 28 (1949) 298-300.

habeant at *non plenam*, quoad omnia, nec *absolutam*, sed subordinatam, superiori Auctoritati, quoad illa tantum in quibus subiiciuntur et quidem servatis superioris auctoritatis normis.

4. His praemissis facile textus rescripti patet, sed tamen iuvabit aliqua subnotare. En praecipua:

a) Imprimis, etsi interrogatio procedat a *Procuratore Generali Societatis Sacerdotalis Sanctae Crucis et Operis Dei*, tamen ex ipsius formulatione characterem habet generalem, ut liquet, pro omnibus Institutis quae ad normam constitutionum vel proprii probati characteris, a fortiori si ex utroque capite, res de quibus agitur (*domus, opera, sodales*) secreto legere debent.

b) In hoc documento (2) sermo fit expresse de *domibus, operibus, sodalibus* non de aliis, sed evidenter decidendi ratio alia omnia comprehendit quae eodem modo secreta ex citatis capitibus ab vel ex aliis ab Auctoritatibus superioribus secrete imponuntur. Evidenter si Auctoritates inferiores haec ex officio noverint secreto tenentur;

c) In documento non dicitur, Ordinarios aliasque Auctoritates immediatas, ad omnia quae domos, opera, sodales tangunt plene noscenda ius habere. Nemini dubium quod seu certa ipsorum opera collectiva, sodalium notitiam qui regimen habent, aliasque generalia Ordinarii noscere ius habeant. Sed quaestio non erat de his definiendis in particulari.

d) Hypothetice quaeritur, an illa omnia de praedictis rebus quae ex constitutionibus ex probato Instituti characterem secreta sunt et esse debent, dum ex officio Ordinariis, ipsiusve Curiis aliisve communicantur, secreta pro aliis remanere debeant, ita ut Ordinarii, Curiae etc. non possint haec aliis, sive singulis personi sive omnibus in vulgus res edendo communicare qui ad horum communicationem ius non habent.

e) Haec ultima clausula « *qui ad horum communicatio-*

(1) Officium dicimus si constitutiones non obsint, optime aliqua revelari poterunt, in casu prudenter revelabuntur, ministerii, consilii, iuvenis causa.

(2) Cfr. Infra.

nem ius non habent » responsum *affirmativum*, quod ut patet, dari debuit el re mature, pro S.C. more, perpensa, iure meritoque datum est, rationabiliter definit ac circumscribit secretum quod Ordinarios aliasque Auctoritates subordinatas cogere etiam necesse est. Potest ergo secretum revelari iis, iisque tantum « *qui ius habent ad communicationem* » ex. gr. officialibus Curiae, Visitatoribus Apostolicis etc.

f) Naturaliter illi quibus secretum ab Ordinariis ex officio revelari potest, hoc secreto ex officio habito eodem modo tenetur.

III

DOCUMENTA ORDINARIIS LOCORUM EXIBENDA *

Beatissime Pater: Procurator Generalis Instituti « *Opus Dei* » ad Sanctitatis Vestrae pedes humiliter provolutus, quaerit utrum necessarium atque expediens censendum sit integras Constitutiones Instituti Ordinariis locorum exhibere cum novum centrum in propria uniuscuiusque dioecesi aperiendum sit vel venia ad laborem apostolicum corporative exercendum expostulanda: et quatenus negative, quae documenta Instituti ipsis Ordinariis communicare necessarium sit atque expediens.

Et Deus.

Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, attenta Instituti *Opus Dei* speciali ratione, respondendum censuit:

Ad 1.um Negative et ad mentem. Mens est nec necessarium est neque ex regula expediens dici potest integras Instituti Constitutiones aliaque documenta interna Ordinariis locorum communicare.

Ad 2.um Haec tantum documenta Ordinariis expostulantibus necessario communicanda sunt: 1) Decretum approbationis Instituti et Constitutionum; 2) summarium Constitutionum a S.C. approbatarum; 3) privilegia, si quae habeantur vel in pos-

(*) CpR, 28 (1949) 303-305.

terum obtineantur, relate ad ea in quibus Congregationes clericales iuris pontificii, inter quas Institutum ex iuridica recognita aequiparatione enumeratur, Ordinariis locorum necessario subiciuntur, et servata norma can. 51.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus S.C. de Religiosis, die 1 augusti 1949.

ADNOTATIONES

a) Ut ex verbis quae responsioni praemittuntur patet (« attempta Instituti *Opus Dei* speciali ratione ») ipsa non est generalis, etsi criterium praebere valeat in casibus similibus, et ceterum lucem circa secretum Institutorum offerat.

b) Primum dubbium ita a Procuratore *Operis Dei* formulabatur: « utrum necessarium atque expediens censendum sit integras Constitutiones Instituti Ordinariis locorum exhibere cum novum centrum in propria cuiusque dioecesi aperiendam sit vel venia ad laborem apostolicum corporative exercendum expostulanda ». Respondetur *negative* sed ad mentem, ut inter illud quod est *necessarium* et illud quod est *expediens* distinguatur. Dicitur non esse necessarium Constitutiones, et additur « *aliaque documenta interna* » Ordinariis locorum communicare, nec posse consequenter ab his communicatio exigi. Circa alium adspectum quaestionis, an scilicet *expediat* haec omnia Ordinariis locorum singulis communicare, respondetur quod *ex regula*, quae exceptiones admittit et prudentiae diiudicandas relinquuntur, expediens dici non potest. Sane, si *omnibus* qui in iure sub nomine Ordinarii loci ad normam can. 198 § 1 veniunt, sive domum instituant sive ministeria corporative permittant, Constitutiones completas aliaque documenta interna communicarentur, prudenter loquendo pertimescenda essent iudicia ac criteria varia atque diversa, ac secretum, circa res ceterumque scitu non necessaria gravibus exponi posset periculis. Hinc, *ex regula* haec plena non necessaria communicatio expediens recte dici non videretur.

c) Altero subordinato dubio Procuratoris Generalis respondetur illa recensendo quae S.C. censet necessario esse Ordinariis praedictis communicare, ut vel species clandestinitatis fugiatur.

Sunt autem haec: 1.um *Decretum approbationis Instituti et Constitutionum*. Ex ipso Instituti positio iuridica constat. 2.um *Summarium Constitutionum a S.C. approbatarum*. In hoc summario omnia continentur quae Ordinarios tangunt, vel ipsorum rationabiliter intersunt. 3.um *Privilegia* praesentia, vel futura quando habebuntur, dummodo illa respiciant in quibus Congregationes iuris pontificii clericales, inter quas Institutum ex iuridica recognita aequiparatione recensetur, Ordinariis locorum necessario subiciuntur, et pariter sumpta norma ex can. 51, illa quae praesentanda praecipiuntur expresse vel aequivalenter ex eo quod agatur de rebus publicis, quae absque privilegio fieri non valerent, vel imponatur conditionum aliquarum comprobatio.

d) In fine additur clausula: « contrariis quibuslibet minime obstantibus ».

DE CONSTITUTIONE CENTRI NON AUTONOMI ET DE APOSTOLATU INDIVIDUALI *

Prot. n. 6388/49

Beatissime Pater, Procurator Generalis Instituti « Opus Dei », ad Sanctitatis Vestrae pedes humiliter provolutus, quaerit:

1. Utrum consensus Ordinarii loci, analogice ad normam religiosi iuris (c. 197 necessario ad erectionem Centri autonomi « Operis Dei » in Constitutionibus Instituti praescriptus (n. 290), requiratur etiam ut Sodales Centro legitime erecto adscripti alibi uti laici ac saeculares individuum vitam ducant;

2. Quatenus negative ad 1.um, an membra Instituti de quibus agitur vitam non canonice sed tantum de facto ac materialiter communem, libere ducere valeant;

3. An apostolatatum proprii Instituti non corporative, sed individuali ac personali ratione libere iterum exercere possint.

Et Deus...

Sacra Congregatio Negotiis religiosorum Sodalium praepo-

(*) *CpR*, 28 (1949) 305-307.

sita, mature speciali « Operis Dei » ratione perpensa, respondendum censuit:

Ad 1.um: *Negative*.

Ad 2.um: *Affirmative*, dummodo vere agatur de vita communi non de iure, sed de facto. Quoad illa omnia quae vitae communi iuridica sumptae ad normam Constitutionum vel iuris communis adscripta sunt, ex. gr. quoad Oratorium liturgicum, quoad asservationem SS.mi Sacramenti, etc., praescriptae iuris solemnitates requiruntur.

Ad 3.um: *Affirmative*, quoad illa omnia quae personalem, non corporativam rationem revera induant.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis, die 8 Augusti an. 1949.

ADNOTATIONES

Haec utiliter adnotantur.

a) Ut infra dicimus, et in Constitutionibus *Operis Dei* (n. 290) expresse praescribitur, necessaria est venia Ordinarii loci ad erectionem *Centri autonomi* Instituti saecularis.

b) Ne confusio oriatur, nomine *Centri autonomi* intelligendum hîc est relate ad Auctoritates ecclesiasticas sicut ceterum etiam in iure religioso. Centrum quod externe, relate ad locum (dioecesim) ut verum Centrum cum omnibus iuribus et officiis verarum domorum aestimatur, quidquid sit de dependentia interna, quae Ordinariorum non interest.

c) *Evidenter* si agatur de *centro* non solum non autonomo sed improprie dicto, hoc sensu quod aliquo in loco aliqui Instituto adscripti uti laici ac saeculares individuum vitam ducant venia necessario ad Domum institutionem exigenda non est.

d) Quoad alterum dubium, subordinatum responsioni negativae primo dubio data, si attente ipsum ponderetur, responsum clarum simulque prudens statim apparet. Sane, respondetur membra Instituti de quibus agitur, quae non constituunt domum seu centrum nec interne nec externe autonomum, posse vi-

tam communem ducere quae non sit nec *canonica* nec *iuridica* seu *de iure*, sed mere *de facto*. Vita communis *de facto* illa dicitur quae mere materialis est, veluti commoratio in diversorio quae nullum ex effectibus producat quos Constitutiones vel ius commune vitae communi ab ipsis agnitae et ad normas ab eis praescriptas ordinatae tribuunt. Exempla afferemus: in primis quoad Constitutiones: haec vita communis *de facto* non constituit organismum qui Superiorem proprii nominis cum potestate ex officio orta habeat, qui possit bona possidere, qui sit capax repraesentationis activae vel passivae et alia centum. Quoad ius vero commune in ipso responso exempla citantur: haec materialis conviventia non constituit collegium nec domum religiosam vel piam quae possit habere oratorium liturgicum collegii proprium (semipublicum; c. 1188, § 1, 2°), nec Sanctissimum Sacramentum asservare ex sola licentia Ordinarii loci (c. 1265, § 1, 2°), etc.

e) Denique quoad tertium dubium distinctio accipitur inter apostolatum *corporative* per ipsius opera propria per actionem collectivam active vel passive ab Instituto per sua centra vel per sua membra exercitum, et apostolatum *individuale ac personale*, quod unumquodque ex membris in sua professione, in suis relationibus particularibus et socialibus exercere potest ac debet. Quando apostolatus hoc sensu vere *individualis ac personalis* est, venia Ordinarii proprie dicta non est necessaria; apostolatus qui hanc rationem personalem et individualement quolibet modo revera excedat non potest absque formali licentia exerceri. Haec licentia optime expostulari et quatenus sit necessaria concedi potest, etsi nec expostuletur nec concedetur novi centri aperitio, vel etsi quoad tempus limitata vel circumscripta esse debeat.

A[RCADIO] L[ARRAONA]

SOCIETAS SACERDOTALIS SANCTAE CRUCIS ET OPUS DEI *

(SOCIEDAD SACERDOTAL DE LA SANTA CRUZ Y OPUS DEI)

Societas Sacerdotalis Sanctae Crucis et Opus Dei a Rev.do D. JOSEPHO MARIA ESCRIVÁ DE BALAGUER in dioecesi matritensi originem habuit, die 2 mensis octobris an. 1928.

Per plures annos (1928-1940) *Opus Dei* (ita compendiose nominatur) ut Pia consociatio benevolentia ac benedictione Ecclesiasticae Auctoritatis extitit. Post diuturnas moras longasque probationes *Opus Dei* succrevit et solidatum est. Accesserunt tandem ecclesiasticae recognitiones. Die 19 martii an. 1941 Episcopus matritensis ad formam Piae Unionis *Opus Dei* redegit, pauloque post, S. Sede ad normam iuris consulta (cc. 674, 492, § 1), Ipsiusque venia die 11 octobris an. 1943 obtenta, Ordinarius matritensis *Opus Dei* in Societatem vitae communis sine votis publicis iuris dioecesani, die 8 decembris eiusdem anni formaliter erexit. Subsequentibus annis, cum tam domus quam socii in dies multiplicarentur, non sine magno animarum fructu, haud immerito visum est tempus advenisse implorandi a S. Sede primam *Operis Dei* pontificiam approbationem.

Dum *Opus Dei* has supplices S. Sedi preces exhibebat, ut qua Societas vitae communis sine votis publicis Laudis Decretum impetraret, Const. Apost. « Provida Mater Ecclesia » iam parabatur. Ad huius documenti lumen Institutum *Opus Dei* eiusque Constitutiones attente in S.C. de Religiosis recognita sunt, intimaque horum ratione perspecta, clare patuit *Opus Dei* prae se ferre exemplar sinceri ac germani Instituti saecularis ab ipsa Constitutione Apostolica propositi. Hinc, in ulteriore ipsius *Operis Dei* examine ac discussione procedendi norma servata est, quae in Const. « Provida M.E. » (art. VII § 3) pro Institutum saecularium approbatione praescribitur. Habito ergo favorabili suffragio tam specialis Commissionis Consultorum pro Institutis saecularibus quam Congressus pleni S.C. de Religiosis, Summus Pontifex, in Audientia diei 24 mensis februarii a. 1947, *Opus Dei* Institutum saeculare declaravit atque constituit et amplissimis verbis laudavit et confirmavit. Tandem, die 16 iulii an.

(*) CpR, 36 (1957) 4243.

1950, *Opus Dei* approbatione perpetua et definitiva decoratum est.

Ex Instituti membris, quae iam obiere, memoria dignus est ISIDORUS ZORZANO (n. 13 sept. 1902, m. 15 iul. 1943), viarum feratarum Hispaniae architectus, qui fama sanctitatis claruit et cuius Beatificationis causa coepta est.

Opus Dei duplici separata sectione constat, virorum (sacerdotum et laicorum) et mulierum, sub unico Superiore Generali. Utraque ex his duabus sectionibus propria, ideoque prorsus seiuncta hierarchia, in singulis regiminis gradibus, utitur.

Sectio feminea *Operis Dei* orta est die 14 februarii an. 1930.

Specificus finis Instituti est totis viribus adlaborare ut classis quae dicitur intellectualis, quaeque vel ob doctrinam qua pollet, vel ob munera quae exercet, vel ob dignitatem qua insignitur, est moderatrix societatis civilis, Christi Domini praeceptis adhaereat, ipsaque in praxim deducat et inter omnes classes civilis societatis vitam perfectionis in saeculo fovere et diffundere, atque viros ac mulieres informare ad apostolatam in saeculo exercendum (1).

(1) Bibliographia: CpR, 34 (1955) 193-194. *Constitutiones Societatis Sacerdotalis Sanctae Crucis et Operis Dei*. Romae, 1947. 145 pag. - *Constitutiones Societatis Sacerdotalis Sanctae Crucis et Operis Dei*. Romae, 1950. 313 pag. - ESCRIVÁ DE BALAGUER, J.M.: *La Constitución Apostólica « Provida Mater Ecclesia » y el « Opus Dei »*. Madrid, Blass, 1949. 30 pag. - *Opus Dei*. Tablet, 190 (august 1947), p. 114. - *Work of Opus Dei*. N.C.W.C. « News Services », September 12, 1949. - THORMAN, D.: *Opus Dei*. « St. Anthony Messenger », vol. 58 (august 1950), p. 17-19. - CANALS, S.: *Aprobación definitiva del Opus Dei*. Ecclesia (Madrid), 1950, n. 472, p. 125-126. - PORTILLO, A. del: *Società Sacerdotale della S. Croce ed « Opus Dei »*, « Enciclopedia Cattolica », vol. XI, col. 869-870. - ESCRIVÁ DE BALAGUER, J.M.: *Camino*. Ed. 3ª. Madrid, Ed. Minerva, 1945. 355 pag. - *Posiciones y Artículos para la Causa de Beatificación y Canonización de Isidoro Zorzano Ledesma, del « Opus Dei »*. Madrid, 1948, XIII-188 pag. - SARGENT, D.: *God's Engineer*. Chicago, Supter, 1954.